

**Soteria pro ... Hermanno Boerhavio ex morbo gravissimo convalescenti
[sic] soluta / [Pieter Burman].**

Contributors

Burman, Pieter, 1668-1741.

Publication/Creation

[Leyden] : [publisher not identified], [1722]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r894qth4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

S O T E R I A

PRO VIRO CLARISSIMO

ET

COLLEGA CONJUNCTISSIMO

HERMANNO BOERHAVIO,

EX MORBO GRAVISSIMO

CONVALESCENTE

SOLUTA.



F. F. G. I. A.



S O T E R I A

PRO VIRO CLARISSIMO

ET

COLLEGA CONFUNCTISSIMO

HERMANNIO BOERHAVIO

EX MORBO GRAVISSIMO

CONVALESCENTE

SOLUTA.



E L E G I A.



Audivit pia vota bonus, morbique furorem,
Magne vir, aetheria fregit ab arce Deus:
Limine de Stygio precibus revocate faventum
Vivis, & a media morte recepte, redis.
Redderis attonitae tanto discrimine Leidae,
Vix sua quae lecto te recubante fuit.
Crebraque cum siccis spectasset funera malis,
(Heu nimium lenta multiplicata lue!)
Indulfit lacrimis, ubi te fervoribus uri
Audiit, & gelido membra tremore quati.
Praeque metu cari capitis, vulgaria leto
Tot data, jacturam credidit esse levem.
Mille licet media de plebe domestica vexet
Pestis, & in cives saeviat ira Dei;
Arva licet viduet labes violenta colonis;
Et doleat raptos Curia moesta Patres;
Damna tamen reparant mox successore reperto,
Cujus ab alterius funere crescit honos.
At Tibi, prodigium, nostrique vir unice secli,
Publica se similem vox reperire negat.
Excute, ait, patriae, rodens sublimia Livor:
Clara per Italiam vise Lycea, precor.

Nec Tibi Paeonias, jaëtat quas Francia, fedes,
Nec tibi Germanas defit obire fcholas.
Ingenio mutas & linguae dotibus artes
Tam bene qui poliat, trans mare quaere parem.
Cujus ab occafu mundum replevit ad ortum
Fama, nec in patriae finibus haefit honor.
Cujus certa manus tot desperantia vitam
Corpora, tot dira tabe peresa levat.
Da mihi, cujus opem Reges, laribusque relictis
Solliciti toties expetiere Duces.
Quem proceres civesque colunt, juvenesque nurusque,
Fataque formidans prolis acerba parens.
Cujus ab aurora, velut ampla palatia Regum,
Obfidet infelix atria claufa cliens.
At fimul illa patent, valido non divitis auro
Invidet, aut furdo limine plorat inops.
Gentis amor, fidusque tuis illufre Batavis,
Seculaque Elaei digne videre Senis;
Jam Tibi, Tartarea demerfo paene palude,
Ad superas auras bis remeare datum.
Bisque, fatigato prope per convicia coelo,
Supplice te retrahit publica voce Salus.
Hei mihi! quae facies, ceu publica funera fleret,
Hei mihi! qui tota luëtus in Urbe fuit?
O quanto jacuit defixa dolore Minerva!
Præfide quae celfum Te levat alta caput.

Quo

Quo Duce Piëriis toties injuria tectis
Abfuit, & vires perdidit Ira feras.
Tu procul infidias, ponit quas invida privis
Legibus Ambitio, mente videre sagax.
Consilii plenus, placidus sermone, potensque
Aequa minus blandis flectere corda sonis.
Nocte dieque vigil stabas in Palladis arce,
Tutor Apollinei certa salusque jugi.
Nec tua se pretio, nec honoribus insita vanis
Libertas tumidis prostituebat heris.
Non animi arbitrium vox imperiosa jubentis,
Instantisve ferox eripiebat apex.
Lex vitae Tibi norma fuit, justique tenorem
Non Tibi blanditiae, non rapuere minae.
Quid fore consorti credis, Pater optime, turbae
Mentis, ad invita lumina clausa manu?
Te moriente rapi sua gaudia, jura, decorem,
Spesque bonas celeri cernet abire fuga.
Et pubes, flens fata boni studiosa magistri,
Destituet doctum, Te viduata, nemus.
Orba tuo quid inermis ages, Hollanda Minerva,
Vindice? de digitis aegis & hasta fluent.
Ultimus, ille dies qui solvet justa sepulto,
Testis Athenaei, Leida, frequentis erit.
Grex erimus pastore suo desertus, inersque
Flebimus ad tumulum Turba togata ducis.

Lucis at illius tenues vanescat in auras,
Et portanda levi detur imago noto.
Te potius vivo redeat spes blanda favoris,
Gratia Te redeat conciliante prior.
Fessa tot infaustis pars utraque litibus optet,
Pristina constanti vincla novare fide:
Curia perpetua jungat sibi pace Lyceum,
Ordinibusque suis restituatur honos.
Hoc opus est, Hermanne, tuum, concordia fausto
Omne fac coëat firma, labore tuo.
Redde vicem, nutrix Academia clamat, & insta,
Ut vireat vestra Mater, alumne, manu.
Cui tua non Procerum succurrit dextera? cui non
Adfuit illustri fida medela viro?
Seque suosque Tibi quot non debere fatentur?
Proque tua quis non vota salute facit?
Vive diu, patriae totique salutifer orbi,
Vive, Machaonia vir, precor, arte potens.
Palladium non voce tua, non mente capaci,
Non ope tam certa Leida carere potest.
Nec tamen immodicis ut vexes corpora curis,
A fene nec juvenis dura reposcit opus:
Paene sed emeritae jubet indulgere senectae,
Corporis ut curis otia liber agas.
Non Tibi de duro pectus Natura metallo,
Non Tibi de solido marmore membra dedit.

Mente tua contenta regi, contenta doceri,
Mellea ne claudas ora, juvena rogat.
Et cupida Tua dicta bibens tractabilis aure,
Supplicat ut manuum jam grave cesset opus.
Jungimus, ardentis decus hoc servare Lyceo,
Tot juvenum nostras, si finis ipse, preces.
Sat plantis herbisque datum, fatis ille rapaci
Terruit Hermetis nos ferus igne focus.
Has utinam valido juveni transcribere partes,
Quem tua formavit lingua manusque, velis!
Vis animi, quae summa, tui, sollertia mentis,
Doctrinaeque dabit copia sat, quod agas.
Tu priscis memorata viris, usuque magistro
Proditam, & ingenio trade reperta tuo.
Sic meliore Tui nos parte fruamur amici,
Dulcibus adloquiis quos retinere vales.
Sic tua projectos videat nos villa sub umbra,
Quam faciet vestra consita silva manu.
Quasque olitor rapuit, nobis felicior, horas,
Fida, sodalitiis jure, corona ferat.
Illic dum platani lata sub fronde jacemus,
Aura det excluso frigora sole levis.
Dumque sacrae laeti fumos evolvimus herbae,
Libemus genio mollia vina loci.
Boerhavius, dos sola loci, sic crescere ramos
Cernat, & arboreas luxuriare comas;

Ut

Ut quae de tenero surrexit stipite truncus,
Praebeat annofo tegmina densa seni.
Et numeret Conjux feros longaeva, Patrisque
Unica praesidium Filia dulce, dies.
Sola neque haec mea, sed confortis amica Senatus,
Haec Procerum, haec Populi publica vota puta.
Compita festivo, resonant, Te sospite, Tempa
Murmure, gratantum surgit ad astra fragor:
Taurus ad accensas a divite ducitur aras,
Urit inops parca turea dona manu.
Carmina nos votiva tholo suspendimus, in quibus
Nil nisi laudetur laeta voventis amor.

PETRUS BURMANNUS.